

servata portione, locum habet; et quoniam  
Astronomis hujusmodi diametri perpetuo  
pene sunt usui, satis apparet, quam ma-  
xima hujus effectus in supputationibus ra-  
tio sit habenda. Hanc in rem extant  
Tabulae, quarum ope corrigi quoque debent  
distantiae, quae supra solis discum inter  
Limbum et maculam, aut Planetarum  
aliquorum, Venerem scilicet, vel Mercurium  
mensurantur. Quae correctio tum fiet pro-  
portionalis mensurate distantiae.

Itaque refractionis effectum  
effectui parallaxeos directe oppositum  
esse ex dictis manifesto etiam intelli-  
gitur, quavis utraque eadem. Fere Le-  
ges sequatur. Quamobrem data pro qua-  
vis altitudine Syderis refractione, mu-  
tatio, quae ipsius ascensionem rectam,  
et declinationem afficit, item potest simi-  
li fere negotio supputari, quo parallaxeos  
effectus eidem conveniens supputa-  
tur: ut proinde eodem calculo situs ap-  
parens aëstrorum ab erroribus tum ex  
parallaxi, tum ex refractione proveni-  
entibus liberetur, si pro ejus calculi  
elemento differentia inter parallaxim,  
et refractionem altitudini Syderis com-  
petentem accipiatur.

Et haec

Et Ecce quidem satis ma-  
 nifesta sunt, ac ex Dioptrices Legibus  
 immediate Derivantur. Non est interim  
 dissimulandum, refractiones ubique stabi-  
 les, ac perpetuo easdem non esse. Variat  
 enim atmosphaera conditio pro muta-  
 tione adjunctorum, nec in eadem parte  
 eadem semper densitas reperitur, ut os-  
 tendit Barometrum. Quare Eujusmodi  
 variationes refractionis quoque Astrono-  
 mica comitentur, necesse est. Viderat  
 jam pridem id Tycho, cum suas refra-  
 ctionum Tabulas edidit; at primi fuere  
 Cassinius, et Picardius, qui Eujusmodi re-  
 fractionum instabilitatem aliqua accurata-  
 tione metirentur. Altitudinum meridi-  
 anarum ope cognovit Picardius, refra-  
 ctiones hieme maiores esse, quam aestate,  
 et noctu, quam interdiu. Id ipsum ex-  
 pertus est Bouguerius, Halleyus, et pleri-  
 que omnes Astronomi, ut sine ulla dubi-  
 tatione diversis anni temporibus diver-  
 sas refractiones fieri, omnes faterentur.  
 Ex quo et illud pronum fuit conijcere,  
 pro diversis orbis terrarum regionibus  
 easdem quoque mutari. Id quod plane  
 ita se habere, observationes confirma-  
 runt. In Africa cognovit Callius re-  
 fractiones Parisiis  $\frac{1}{40}$  majores esse, quam  
 in Promontorio Bone spei. Bouguerius